DITTENBERGER

DE L. ANNAEI SENECAE
EPISTOLARUM LOCO OBSER-
VATIONES

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXXXXIIII—MDCCCLXXXXV

A DIE XVI. M. OCTOBRIS MDCCCLXXXXIIII AD DIEM XV. M. MARTII MDCCCLXXXXV

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

INSUNT

GUILELMI DITTENBERGERI

DE L. ANNAEI SENECAE EPISTULARUM LOCO OBSERVATIONES.

HALIS

FORMIS GEBAUERO - SCHWETSCHKEIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR
FRANCISCUS DE LISZT
CUM SENATU
S. D.
CIVIBUS SUIS.

Quae dissensio paullo supra hanc memoriam omnium antiquitatis Graecae et Romanae studiosorum mentes animosque mirum in modum tenuit atque exagitavit, de philologiae vi ac finibus recte constituendis, eam constat coniunctissimam fuisse cum artis epigraphicae initiis atque incrementis. Nam non modo idem qui contra Godofredum Hermannum acerrime tutatus est sententiam quae non patiebatur philologi officium angustis artis criticae et hermeneuticae finibus includi, Augustus Boeckh, etiam inscriptionibus recte uti primus docuit, sed nulla ex parte dubium est quin propterea potissimum tantum momenti tribuerit monumentorum epigraphicorum cognitioni, quia non contentus ea quae scriptores traderent recte intellexisse, etiam earum antiquitatis Graecae partium, quas illi aut silentio transiissent aut leviter modo attigissent, accuratiorem notitiam desiderabat. Pridem illae acerrimae lites contentionesque compositae sunt; atque etsi in universum Boeckhium rectius sensisse hodie inter omnes prudentes convenit, tamen vix ac ne vix quidem intellegimus, quo pacto hoc opinionum discrimen tantas turbas tantamque invidiam excitare potuerit. Etenim in exercenda arte non nimium eius momentum esse sponte patet, quoniam neque totius antiquitatis Graecae et Romanae cognitio ulla esse potest sine accuratissima librorum antiquorum interpretatione, neque haec sine illa. Sed utut hoc est, inscriptiones quidem plerumque non emendandorum et interpretandorum scriptorum antiquorum causa tractantur, iure meritoque, siquidem alia est praecipua earum utilitas.

Cave tamen nimis contemptim de eis existimes, quae in illo quoque genere bona habent. Atque ut alia mittam in praesentia, haud raro accidit, ut locus quidam scriptoris veteris propterea summa laboret obscuritate, quia res ibi commemoratur cuius forte fortuna nulla alia mentio in omnibus Graecorum Romanorumque litteris aetatem tulit. Ac nonnumquam lapide aut tabula ahenea ex tenebris in lucem protracta subito omnis illa obscuritas discutitur.

Cuius generis exemplum a nullo dum interprete quantum sciam expeditum hic paucis tractare liceat.

L. Annaeus Seneca philosophus in epistula octogesima tertia ad Lucilium data, qua vitae quotidianae ordinem et rationem illi exponit, de currendi exercitatione haec verba habet: *quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit quaeris? quod raro cursoribus evenit, hieran fecimus.* Nulla est in libris manuscriptis lectionis discrepantia; sed quae traduntur, tantis laborant difficultatibus, ut vix mireris fuisse qui de corruptela cogitarent. Emendandi sane conatus non feliciter cessit; nam si missas facimus, ut par est, ineptissimas quasdam antiquissimarum editionum interpolationes, ex recentioribus duos modo hanc viam ingressos videmus. Ex quibus Fickertus quidem valde suspectam iudicavit hanc scripturam, sed nihil aliud se extricare ingenue professus est. Matthiaeus vero quum primo *ἱερὸν* (sc. *ἀγῶνα*) rescribere conatus esset, postea ad reliquorum interpretum rationem se accommodavit. Namque longe maxima pars editorum interpretando, non emendando loci difficultatibus succurrere studebat. Qua in re tamen haudquaquam convenit inter eos, sed in duas partes discesserunt, quorum duces ac signiferi exstiterunt Marcus Antonius Muretus et Iustus Lipsius viri clarissimi. Ac Muretus quidem cum asseclis femininam adiectivi *ἱερὰν* formam nominis quod est *γραμμήν* ellipsi explicant; sed de huius lineae vi ac natura rursus in diversas partes discedunt, cum alii de sacra quadam linea verba faciant, quae in medio stadio fuerit, alii similitudinem atque imaginem a calculorum ludo repetitam agnoscant. At contra illos quidem, quorum in numero ipse Muretus est, iam Lipsius breviter sed verissime monuit, de eiusmodi linea nihil usquam traditum esse. Nam linea quidem (*γραμμή*) in stadio nonnunquam commemoratur (v. Lips. ad Sen. ep. 49), sed ea neque sacra vocatur neque huc omnino quadrat, quippe quae finem cursus sive metam significet, cum Muretus potius in medio cursus spatio illam suam sacram lineam fuisse finxerit. Adde quod tota res incredibilis est ac paene ridicula. Nam ut largiar causam aliquam cogitari posse, cur medium cursus spatium linea obducta significaretur, etsi ego quidem nullam eius instituti utilitatem perspicio, sic quod Muretus excogitavit ab omni probabilitate plane abhorret, ideo ancipitem fuisse certaminis eventum, quia uterque cum ad illam mediam lineam pervenisset, prae lassitudine amplius procurrere non quivisset. Anceps fieri potuit certamen cursus, quia uterque simul a d m e t a m perveniebat; at propterea neutrum cursorem victorem evasisse, quia defatigati cursum perficere non potuissent, per se inauditum est. Verum enimvero hoc idem utrique cursori in eodem temporis locique vestigio accidisse, atque insuper in eo ipso, quo totum stadium medium dividitur, id quidem omnium absurdissimum est. Cave vero Mureti sententiam ita emendare coneris, ut ficticia illa linea media reiecta *ἱερὰν γραμμὴν* ipsam metam interpreteris. Nam id quidem sponte patet, ambiguum certaminis exitum nullo modo his verbis '*metam attigimus*' enuntiari potuisse nulla adiecta eius rei mentione, in qua totius sententiae cardo vertitur, nempe u t r u m q u e s i m u l ad finem cursus pervenisse.

Tot tamque gravia argumenta sunt, quibus Mureti interpretatio refellatur. Neque vero multo feliciores fuerunt, qui ab eadem vocis *γραμμή* ellipsi profecti calculorum ludum hic tangi sumpserunt, ut Ruhkopfius fecit. Sane eis non fingenda fuit sacra linea, ut Mureto, sed locupletem testem habet Pollucem onomast. IX, 98: *τῶν δὲ πέντε τῶν ἑκατέρωθεν γραμμῶν μέση τις ἦν ἱερὰ γραμμή· καὶ ὁ τὸν ἐκεῖθεν κινῶν πεττὸν ἐποίει παροιμίαν "κίνει τὸν ἀφ' ἱερᾶς."* Vides hanc imaginem ei accommodatam esse, qui in summum periculum adductus iam eo descendit ut extremum auxilium experiatur. Sed id neque omnino in cursus certamen

cadit, neque ullam habet similitudinem cum eius condicione qui certamine ad irritum redacto neque victor neque victus discedit.

Ut igitur utraque ex his interpretationibus singillatim suas habet easque gravissimas difficultates, sic aeque in utramque cadit quod neque a Mureto neque a quoquam alio observatum esse plane miror: Quis enim unquam de eo, qui lineam cursu attingit, hac locutione uti potuit aut Graece aut Latine, ut eum lineam *facere* (*ποιεῖν*) diceret?

Quae cum ita sint, plane abiecta vocis *γραμμήν* ellipsi videamus, quid de Lipsii interpretatione statuendum sit. Qui memor loci Polybiani, de quo infra dicetur, primus vidit hic morem coronas certaminum ancipitium deis consecrandi tangi. Sed quod unum in Mureti interpretatione ceteroquin perversissima laude dignum est, quod femininum adiectivi genus satis sollerter explicuit, id apud Lipsium desideratur. Namque is rectius masculino *ἱερὸν* (sc. *στέφανον*) usurum fuisse scriptorem concedit, sed propter latini vocabuli *corona* genus femininam adiectivi formam praelatam opinatur. Quod etsi nonnullorum Senecae editorum plausum tulit, tamen omnino incredibile est.

Sic fluctuabant hominum doctorum opiniones, donec propter aliorum testimoniorum defectum ex solis Senecae verbis res diiudicanda erat. Sed ecce iam compluria monumenta epigraphica reperta sunt quorum ope accuratius quid rei sit perspicere liceat:

1. Mense Martio anni MDCCCLXXVIII Olympiae ex maceria Byzantina protracta est basis marmorea integra, quae in latere sinistro titulum honorarium Smyrnaeorum continebat indicantem huic basi impositam fuisse statuam Ti. Claudii Rufi Smyrnaei pancratiastae a popularibus ipsius erectam. Fronti vero et dextro lateri incisum est plebiscitum Eleorum de eiusdem Rufi honoribus, editum a me ex Rudolfi Weilii apographo Arch. Zeitung XXXVI p. 97 No. 147. Purgoldius lapide denuo examinato paene ubique Weilii lectiones confirmavit, atque inde in Sylloga Inscriptionum Olympiacarum quam propediem editum iri speramus titulus repetitus est p. 111 No. 54. Quod decretum ut est mirum in modum tumidum et verbosum, sic tamen causam honoris satis perspicue indicat. Etenim Rufus Olympiis in certamen pancratii descenderat, atque etsi numquam sortis beneficio ephedri partes nactus erat, sed per omnes gradus certaminis corpus fatigaverat, tamen omnium victor exstitit usque ad illam extremam congressionem, qua cum uno reliquo adversario iam de ipsa corona depugnandum erat.*) Quae eo difficilior erat, quia ille alter, qui ephedrus fuerat, integris viribus utebatur, quum Rufus priorum certaminum laboribus defessus esset. Tamen singulari pertinacia luctationem in noctem usque protraxit**) itaque effecit ut ancipiti eventu uterque certamine desisteret. Iam ad hanc rei gestae narrationem in extrema decreti parte, ubi honores in eum collati enumerantur, hisce verbis respicitur: *καὶ ἐπιτραπῆναι ἀνδριάντα ἐπὶ τῆς Ὀλυμπίας ἀναστῆσαι ἐπιγραφὴν ἔχοντα τήν τε τῶν ἄλλων ἀγώνων μαρτυρίαν καὶ δηλοῦσαν ὑπὲρ τῆς ἱερᾶς ἣν μόνος ἀπ' αἰῶνος ἀνδρῶν ἐποίησεν.*

---

*) Hoc solum per se imperatorum Romanorum aetate aliquotiens dignum existimabatur, quod in titulis athletarum honoris causa perscriberetur. Cf. Newton, Halicarnassus, Cnidus and Branchidae II p. 774 n. 59: *ἀγαθῇ τύχῃ. Λεύκιον Λευκίου, νικήσαντα τὰ μεγάλα Διδύμεια, ἀγωνισάμενον δὲ καὶ Ὀλύμπια τὰ ἐν Πείσῃ περὶ τοῦ στεφάνου.* Hic sine dubio non '*hieran fecit*', sed victus est in illo supremo certamine.

**) Idem apud Pausaniam V, 9,3 de alio pancratiasta, Callia Didymiae f. Atheniensi narratur, qui tamen postremo vicerat. Vides egregiam laudem pancratiastarum (itemque sine dubio pugilum et luctatorum) fuisse certamem in noctem usque protraxisse. Lepide hanc laudem in acerbissimam singularis tarditatis irrisionm convertit poëta, cum eam in cursorem transferret, Anth. Pal. XI, 85,1: *Νύκτα μέσην ἐποίησε τρέχων ποτὲ Μᾶρκος ὁπλίτης.*

2. In Ephesionum theatro Woodius effodit tabulam cuius inscriptionem ipse princeps edidit, Ephesus App. VI p. 70 n. 20:

. . . . *κατὰ τὸ ἑξῆς Ῥόδον | Ἅλεια παίδων ἀνδρῶν, | ἐν Ἐφέσῳ παίδων Ὀλύμπια, | ἐν Ἐφέσῳ παίδων Βαλβίλληα, | Ἀθήνας παίδων Πανελλήνια, | ἐν Τράλλεσιν παίδων ἀνδρῶν | Ὀλύμπια, Ῥώμην Καπιτώλια | ἀγενείων, Νεάπολιν Σεβαστὰ | ἀγενείων, ἐν Νεικοπόλει ἀγενείων | Ἄκτια, ἐν Ἐφέσῳ ἀγενείων Ἀρτεμείσια, | ἐν Ἱεραπόλει ἀγενείων Ἀπολλώνει[α,] | ἐποίησα δὲ καὶ Ὀλύμπια ἐν Πείσῃ ἱεράν, | ἐν Λαοδικείᾳ ἀνδρῶν Δεῖα, ἐν Σάρδεσ[ιν] | ἀνδρῶν Χρυσάνθινα, Ζμύρναν | κατὰ τὸ ἑξῆς Ὀλύμπια, τῆς συνόδου | Ἁδριανὰ Ὀλύμπια ἀνδρῶν πυγμὴν | τὸ δεύτερον ἀν[δρ]ῶν ἐν Πείσῃ, | ἐτειμήθην ἀνδριάντι καὶ βουλῇ.*

3. Apolloniae Pisidiae inventum titulum publici iuris fecerunt E. Legrand et E. Chamonard Bulletin de correspondance Hellénique XVII (1893) p. 256 n. 35. Sed quum eum locum, qui nobis maxime memorabilis videri debet, editores neque intellexerint neque suppleverint, illorum exemplum maiusculis litteris hic repetere satius duco. Id igitur sic se habet:

ΑΥΡΞΑΝΘΙΑΝΜΕΝ?
ΟΥΑΓΩΝΙΣΑΜΕΝΟΝ
ΕΝΔΟΞΩΣΤΗΝΙΕΡΑΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΔΩΡΗΤΟΝ
ΑΙΛΚΟΡΝΟΥΤΕΙΑΝ
ΘΕΜΙΝΓΠΥΘΙΚΩΝ
ΛΗΝΚΑΙΠΟΙΗΣΑΝ
ΤΑΙΠ'ΝΕΠΙΘΕΣΜ
ΘΕΤΟ'ΓΑ . Α . ^Ν . ΘΕ
ΓΟΥΤΟΥΑΞΙΟΛΟΓΩ
ΤΑΤΟΥΜΑΡΑΥΡΔΙΟ . ΛΕ
ΟΥΣΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ.

Haec sic legenda sunt:

Αὐρ(ήλιον) Ξανθίαν Μεν[νέ]|ου, ἀγωνισάμενον | ἐνδόξως τὴν ἱερὰν Σεβαστοδώρητον | Αἰλ(ίαν) | Κορνουτείαν | θέμιν γ' πυθικῶν | [πά]λην, καὶ ποιήσαν|τα ἱ[ερ]άν, ἐπὶ θεσμ[ο]θέτο[υ κ]α[ι] ἀ[γ]ων[ο]θέ|[τ]ου τοῦ ἀξιολογω|τάτου Μάρ(κου) Αὐρ(ηλίου) Διο(κ)λέ|ους φιλοπάτριδος.

Pleraque editores expediverunt, sed de eorum, quae litteris diductis exprimenda curavi, restitutione desperantes in scriptura minuscula illos versus omiserunt. Ac tamen res simplicissima est: *πυθικῶν* hic breviter scribitur pro *παίδων πυθικῶν*. Etenim leges certaminum in feriis nobilissimis Graecorum cum aliis rebus diversas fuisse satis constat, tum puerorum aetatem neutiquam ubique ab eodem anno initium cepisse. Qua in re quum reliqua omnia certamina sacra se ad illorum quattuor antiquissimorum et nobilissimorum leges accomodarent*), factum est ut hic illic commemorentur *παῖδες Ἰσθμικοί* (Syll. I. Gr. 399,9 sqq. 400,8 sqq. Suidas s. v. *Παναθήναια*), *Ὀλυμπικοί* (Syll. I. Gr. 400,6), *Πυθικοί* (Syll. I. G. 399,8 sqq.). Neque vero minus certum est, in eis quae has voces proxime excipiunt nihil aliud latere quam illam ipsam de qua nunc disputamus formulam.

Iam tria sunt, ni plane fallor, quae haec monumenta epigraphica conferant ad Senecae locum recte intellegendum: Primum enim traditae lectionis fidem adeo confirmant, ut omnis

*) Cf. Syll. 1, Gr. 150,8 sqq.: *ὅπως ἂν ἀποδεξώμεθα τὸν ἀγῶνα τὸμ μὲν μουσικὸν ἰσ[οπύθιον, τὸν δὲ γυ]μνικὸν καὶ ἱππικὸν ἰσονέμεον ταῖς τε ἡλικίαις καὶ ταῖς τιμαῖς.*

emendandi conatus discutiatur. Deinde vero si quid adhuc desiderabatur in Mureti aliorumque qui vocis *γραμμήν* ellipsin statuebant opinionibus redarguendis, id his testimoniis suppletur. Nam quum omnes illi ad cursus potissimum naturam ac leges illam dicendi formulam retullissent, nunc intellegitur, eam aeque in omni certaminum genere locum habuisse. Quid quod ne unus quidem cursor est inter haec tria exempla epigraphica, sed unus luctator, unus pugil, unus pancratiasta? Nonne hoc necessario commonefacit Senecae verborum '*quod raro cursoribus evenit*'? Quae in Mureti quidem interpretatione ita accipienda essent, ut vox *cursoribus*t nullum fere pondus haberet: namque de ea re disputantii quae omnino nusquam usu venire potera nisi in curriculo, sane non opus erat eo additamento. Non dico per leges sermonis non licere verbum sic intellegi; sed multo aptior tamen eius usus iudicari debet, si ea mens est scriptoris, ut prae reliquis exercitationibus in cursu potissimum eiusmodi ancipitem eventum perrarum esse indicet. Neque hoc a rerum natura abhorret, siquidem luctatorum, pugilum, pancratiastarum pari robore, fortitudine, pertinacia haud infrequenter trahi poterat certamen dum legitimo tempore elapso arbitri illorum contentionibus finem imponerent; quod contra ut duo cursores uno eodemquem temporis puncto ad metam venirent multo rarius accidisse consentaneum est. Denique quum femininum adiectivi genus in tribus titulis Graecis perinde lectum sit, non iam licet cum Lipsio hoc ad Latini nominis quod est *corona* formam referri, id quod sane etiam aliis nominibus omnium maxime incredibile est.

Sed ut haud pauca his quas modo enumeravi inscriptionibus accepta ferimus, sic una res in eis ipsis non minus obscura manet, quam in Senecae loco fuit, illum feminini *ἱεράν* usum dico. Quae postrema difficultas ut expediatur, paullo accuratius de eo qui his omnibus locis tangitur more coronas certaminum ancipitium deis consecrandi disputandum est. Quem qui primus huc traxit Iustus Lipsius, loci Polybiani mentionem iniecisse satis habuit. Sed multo plura exstant eiusdem rei testimonia, atque unum certe Polybio aliquot saeculis antiquius; namque in recensibus rerum sacrarum quae ab unoquoque quaestorum aerarii sacri collegio successoribus traditae sunt initio quarti a. Chr. saeculi Athenis in arce propositis, aliquotiens (C.I.A. II, 652,37. 659,18. 660,17. 667,34) commemoratur *στέφανος θαλλοῦ χρυσοῦς, ὃν ἡ πόλις ἀνέθηκε, τὰ νικητήρια τοῦ κιθαρῳδοῦ.* Hic iam Boeckhius (Staatshaushaltung der Athener II p. 252) veram interpretationem proposuit, dubitans sane. Quo magis mireris Aemilium Reischium in libro bonae frugis plenissimo de anathematis Graecorum p. 60 not. 4 hoc exemplum eorum turbae immiscuisse, quibus coronas certaminum sacrorum ab ipsis victoribus dis dedicari solitas esse doceremur. Namque nec nomen citharoedi omissum ullam habet probabilem explicationem, neque praemia certaminum victoribus data a civitate, sed ab ipsis victoribus consecrabantur. Quare hic de corona a populo proposita, sed propter ambiguum certaminis eventum nulli victori data dici omnium certissimum est. Quae manebat publica populi Atheniensium, cuius sumptibus parata erat, sed ex more ab eo Minervae dedicabatur. Atque ut hoc testimonium Polybio fere ducentis annis antiquius est, sic tribus post illum saeculis eandem consuetudinem mansisse probat Gellii locus N. A. XVIII, 2,5: *si nemo dissolvebat* (*quaestionem*), *corona quaestionis eius deo, cuius id festum erat, dicabatur.* Quod quoniam iam ex hoc tanto temporum intervallo haud absurde conicitur, rem quae nobis propter fortuitam testimoniorum paucitatem rara aut recondita videatur, omnium frequentissimam ac notissimam per omnia Graecae Romanaeque antiquitatis saecula fuisse, id confirmatur translato huius locutionis usu apud Polybium I, 58,5: *ὡς ἂν ἀπαθεῖς καὶ ἀήττητοι ἄνδρες ἱερὸν ἐποίησαν τὸν στέφανον.*

XXIX, 8,9: *καὶ δὴ τῷ τοιούτῳ τρόπῳ (Εὐμένης καὶ Περσεὺς) ποιήσαντες ἱερὸν τὸν στέφανον τῆς φιλαργυρίας διελύθησαν ἐπ' ἴσης, καθάπερ ἀγαθοὶ παλαισταί.**)

Sed ex huius consuetudinis frequentia nata est memorabilis quidam dicendi usus, cuius nonnulla tenemus manifesta exempla. Nempe sensim vox *ἱερός* a praemiis certaminum ancipitium ad ipsa certamina, quorum nemo victor exstiterat, transferebatur, ita ut plane in latinae vocis '*anceps*' vim ac notionem abiret. Ambiguus haereo, num huc revocem titulum Acraephiensem I. G. Sept. I, 2727. Nam quod hic v. 19 *κιθαρῳδῶν ἱερός*, v. 24 *κωμῳδῶν ἱερός* exaratum est, id haud absurde nominis *ἀγών* supplemento ad hunc sermonis usum trahas; sed vix negaverit quisquam, non minore iure etiam *στέφανος* subaudiri posse. Quod contra omni ambiguitatis crimine caret titulus Larisaeus apud Duchesnium et Bayetum, Archives des missions scientifiques et littéraires Ser. III Tom. III (1876) p. 306 n. 158, ubi inde a versu sexto haec leguntur: *τὸ δὲ τῶν ἀνδρῶν παγκράτιον ἱερὸν ἐγένετο.* Neque minus certa sunt, quae in titulo perquam memorabili de legibus Sebasteorum Neapolitanorum (Inscr. Olymp. p. 117 n. 56) v. 16 sqq. a me restituta sunt: *[ὅσα δ' ἂν τῶν ἀ]θλημάτων ἔρημα [ἢ | ἱε]ρὰ γένηται, τ[ούτων ...] ἀνατιθέτωσ αν οἱ ἀγωνοθέται τοὺς στεφάνους ἐν Νέᾳ πόλει ἐν τῷ γυ]μνασίῳ, καὶ ἐπιγραφ[έ|τ]ωσαν, ἀφ' ἧς [κρίσεως] ἕκαστος ἀνετ[έθη].* Apparet hic duo distingui certaminum, quae ad irritum cecidissent, genera: namque aut nemo omnino athleta in campum descenderat (*ἔρημα*), aut adversarii aequo Marte discesserant (*ἱερά*). Iam etsi de utroque genere definite praecipitur, ut corona consecretur, tamen de altero modo adiectivum *ἱερά* usurpatur. Unde apparet quam penitus tum temporis illa notio vocabuli *ἱερός*, quae plane respondet latino '*anceps*', Graecorum mentibus animisque inhaeserit.

Quod quum ita sit, haud facile quisquam negaverit, eodem iure et de certamine hanc vocem usurpari potuisse et de victoria. Inde factum opinor, ut per ellipsin lenissimam de eo qui ipse quidem non vincit, sed tamen ne adversarium quidem corona potiri patitur, locutione *ἱερὰν ποιεῖν* (sc. *τὴν νίκην*) uterentur. Neque quicquam est, cur non et apud Senecam et in utroque titulo Asiatico hanc ipsam structuram agnoscamus. In plebiscito Eleo sane hoc non sufficit propter articulum *τῆς ἱερᾶς*, ex quo apparet, non praedicative, sed substantive hic usurpari adiectivum. Itaque ex hoc uno exemplo discimus amplius etiam progressum esse usum sermonis, ita ut in illo *ἱερὰν ποιεῖν* substantivi ellipsis obscuraretur et ipsum *ἱερά* nominis substantivi, quod 'ancipitem certaminis eventum' indicaret, vim ac notionem indueret. Sed utut hoc est, in Senecae quidem loco interpretando eum scrupulum, qui post titulos erutos etiam haerebat, eis quae supra disputavimus plane evolsum existimaverim.

---

*) Vides Polybio quoque, cum Eumenis et Persei aemulationem certaminum gymnicorum comparatione illustraturus esset, luctatores potissimum in mentem venisse. Quod spectat ad ea, quae supra de verbis *quod raro cursoribus evenit* disputavimus, confirmanda.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IULIUS KOESTLIN, D.

I. Privatim *theologiam biblicam Novi Testamenti* tradet quinis p. h. scholis h. VIII.

II. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderabitur d. Veneris h. VI.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, D., Prorector.

I. Publice *vitam Pauli apostoli* enarrabit d. Merc. h. X.

II. Privatim *1) Pauli epistolam ad Romanos datam* interpretabitur quater p. h. hor. X.

2) theologiae practicae partem alteram docebit quinquies p. h. hor. XI.

III. Privatissime in seminario regio *1) exercitationes exegeticas N. Testamenti* moderabitur d. Iovis hor. VI et VII.

2) exercitationibus catecheticis praeerit d. Mart. h. VI et VII.

ERICUS HAUPT, D.

I. Publice *parabolas Iesu Christi* explicabit d. Merc. h. VIII.

II. Privatim *1) historiam aetatis apostolicae* enarrabit quater p. h. hor. VIII.

2) evangelium Matthaei comparatis evangeliis Marci et Lucae interpretabitur quinis p. h. scholis h. IX.

3) epistolam ad Hebraeos scriptam interpretabitur quater p. h. hor. X.

III. Privatissime et gratis *exercitationes ad interpretationem Novi Testamenti spectantes* moderari perget d. Veneris h. VI.

HERMANNUS HERING, D., Decanus.

I. Publice de *institutis caritatis christianae* disseret die Mercurii h. X.

II. Privatim *ethicen christianam* docebit quinquies p. h. hor. XII.

III. In seminario regio *exercitationes homileticas* moderabitur die Mart. et Iov. hor. VI. et *proseminario homiletico* praeerit die Vener. h. VI.

MARTINUS KAEHLER, D.

I. Publice ex instituto Lenziano *historiam Scripturae Sacrae* post canonem constitutum enarrabit d. Merc. h. X, d. Sat. h. X et XII.

II. Privatim 1) theologiae dogmaticae partem alteram s. *dogmaticam evangelicam* docebit, secutus libellum suum sexies p. h. hor. IX.

2) *alteram Pauli apostoli epistolam ad Corinthios datam* interpretabitur diebus Iov. et Veneris h. X.

III. Privatissime et gratis *exercitationes societatis exegeticae Novi Test.* moderari perget d. Vener. h. VI et VII.

AEMILIUS KAUTZSCH, D.

I. Publice *vaticinia Messiana* exponet d. Sat. h. VIII et IX.

II. Privatim *1) Iesaiae partem priorem* (capp. 1—39) interpretabitur quinquies p. h. hor. III.

2) theologiam Veteris Testamenti docebit quinquies p. h. hor. IV.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Vet. Test.* moderabitur d. Iov. h. VI et VII.

FRIDERICUS LOOFS, D.

I. Publice *introductionem generalem in theologiam symbolicam* tradet d. Sat. h. XII.

II. Privatim *1) historiae ecclesiasticae partem quartam* (i. e. ab anno circ. 1700 usque ad nostra tempora) enarrabit quinis p. h. scholis h. XI.

2) theologiam symbolicam omnium ecclesiarum christianarum docebit quinquies p. h. h. XII.

III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget d. Merc. h. VI.

b. Professorum extraordinariorum.

ALBERTUS EICHHORN, Lic.

I. Publice *historiam notionum principalium doctrinae christianae* tractabit singulis p. h. scholis die Sat. h. XI.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem alteram* enarrabit quinis p. h. scholis hor. XI.

GUILELMUS ROTHSTEIN, Lic. theol., Dr. phil.

I. Publice *historiam canonis et textus Veteris Testamenti* docebit semel p. h. die Sat. h. X.

II. Privatim *1) psalmos* interpretabitur quater p. h. hor. III.

2) introductionem in Vetus Testamentum exponet quinquies p. h. hor. IV.

III. Privatissime et gratis *exercitationes exegeticas in Vet. Test.* instituet d. Iov. h. VI. et VII.

c. Doctorum privatim docentium.

THEODORUS FOERSTER, D.

Privatim *historiam dogmatum* tradet quiquies p. h. hor. XI.

HERMANNUS GUNKEL, Lic.

I. Privatim *1) genesin* interpretabitur quinis p. h. scholis h. III.

2) apocalypsin Ioanneam interpretabitur die Sat. hor. XI et XII.

II. Privatissime *grammaticam Hebraicam* tironibus explicabit diebus Lun. Merc. Ven. hor. IV.

CAROLUS CLEMEN, Lic. theol., Dr. phil.

I. Publice *Biedermanni, Frankii, Lipsii, Ritschlii systemata dogmatica* comparabit die Sat. hor. XI.

II. Privatim *Pauli epistolas minores* (ad Thessalonicenses, Galatas, Colossenses, Philemonem, Philippenses datas) interpretabitur quinquies p. h. hor. X.

III. Privatissime et gratis *exercitationes exegeticas* instituet die Lun. hor. VI.

GERHARDUS FICKER, Lic. theol., Dr. phil.

I. Gratis *historiam artis ecclesiasticae aevi renascentis* enarrabit die Sat. hor. XII.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem tertiam* docebit quinquies p. h. hor. XI

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *historiam iurisprudentiae litterariam* enarrabit d. Merc. h. IX—X.

II. Privatim *1) pandectarum partem alteram, i. e. ius familiarum et hereditarium,* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII—I.

2) doctrinam de concursu creditorum secundum ius imperii Germanici exponet d. Merc. et Sat. h. XII—I.

3) exercitationes processus civilis moderabitur d. Sat. h. X—XII.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.

Propter valetudinem permissu superiorum scholas non habebit.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Publice *de iuris commercialis societatibus* disseret d. Mart. h. X—XI.

II. Privatim *1) ius commerciale* docebit d. Lun. Merc. Iov. Ven. h. X—XI.

2) ius Borussicum privatum tradet quinquies p. hebd. h. XI—XII.

3) exercitationes iuris Germanici privati et iuris commercialis coniunctim cum Prof. Dr. Heck moderabitur d. Lun. h. VI—VIII.

FRANCISCUS ED. De LISZT, Dr., Rector.

I. Publice *de criminibus* disseret d. Ven. h. VI—VI p. m.

II. Privatim *1) ius gentium* docebit d. Merc. et Sat. h. VIII—IX.

2) ius criminale tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX.

3) exercitationes iuris criminalis in usum tironum moderabitur d. Merc. et Sat. h. IX.

III. In semin. crim.: 1) privatim *exercitationes iuris criminalis practicas* instituet d. Iov. h. VI—VIII.

2) privatissime *quaestionum criminalium* tractationem moderabitur.

EDGARUS LOENING, Dr., Decanus.

I. Publice *ius opificum et operariorum* docebit d. Lun. h. V—VI.

II. Privatim *1) ius ecclesiasticum cum catholicorum tum evangelicorum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IV—V.

2) ius administrationis Borussicae d. Lun. Mart. Iov. Ven. tradet h. XII—I.

3) exercitationes iuris administrationis instituet d. Mart. h. V—VII.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *de Romanorum ordine iudiciorum privatorum* disseret d. Ven. h. X—XI.

II. Privatim *processum civilem imperii Germanici* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX—X.

RUDOLFUS STAMMLER, Dr.

I. Publice *theoriam quaestionis socialis* exponet d. Ven. h. VI—VII.

II. Privatim *1) iuris pandectarum partem priorem* docebit d. Lun. Merc. Ven. Sat. h. X—XI, Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. XI—XII.

2) exercitationes ad pandectas pertinentes in usum tironum instituet d. Mart. et Iov. h. X—XI.

PHILIPPUS HECK, Dr.

I. Publice *interpretationes speculi Saxonici* moderabitur d. Iov. h. V—VI.

II. Privatim *1) ius Germanicum privatum* tradet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI—XII

2) exercitationes iuris Germanici privati et iuris commercialis coniunctim cum Professore Dr. Lastig moderabitur d. Lun. h. V—VII.

MAXIMILIANUS RUEMELIN, Dr.

I. Publice *historiam iuris Romani (ad fontes iuris Romani et iurisprudentiam Romanam pertinentem)* tradet d. Merc. h. XII—I.

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* exponet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI—XII.

2) exercitationes in usum tironum scholarum suprascriptarum ordinem secutus instituet d. Mart. et Ven. h. XII—I.

3) exercitationes pandectarum practicas moderabitur d. Merc. h. V—VII.

4) de iure ad res oeconomicas pertinente disseret d. Lun. Merc. Iov. h. X—XI

b. Professoris ordinarii honorarii.

GUILELMUS A BRUENNECK, Dr.

I. Publice *historiam legum Borussicarum*, quae ad emendandam formam reipublicae et iuris annis 1807—1815 latae sunt, tradet d. Sat. h. IX—X.

II. Privatim *historiam iuris Germanici* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X.

c. Professoris extraordinarii.

FRIDERICUS VAN CALKER, Dr.

I. Gratis *ius internationale privatum* docebit d. Iov. h. V—VI.

d. Doctorum privatim docentium.

ADOLFUS ARNDT, Dr.

Privatim *ius publicum tam imperii quam statuum Germanicum* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII—I.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

THEODORUS WEBER, Dr.

I. Publice *cursum practicum* offert, in quo *exercitia percussionis et auscultationis* instituet, d. Mart. et Ven. h. XI—XII.

II. Privatim *scholas clinicas* habebit quotidie h. VIII—IX$^1/_2$.

THEODORUS ACKERMANN, Dr., Decanus.

I. Publice *de anatomia pathologica renum* disseret d. Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *1) anatomiam et histologiam pathologicam specialem* tradet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII—I.

2) demonstrationes anatomico-pathologicas et exercitationes in secandis hominum cadaveribus moderabitur d. Lun. et Iov. h. III—V.

III. Privatissime peritioribus *laborandi copiam in instituto pathologico* dabit quotidie h. X—I et h. III—VI.

HERMANNUS WELCKER, Dr.

Privatissime *prolegomena ad anthropologiam* die Merc. hor. def. tradet.

IULIUS BERNSTEIN, Dr.

I. Publice *1) physiologiam visus* tractabit d. Lun. h. IX—X.

2) colloquia de rebus physiologicis habebit semel per hebd. hor. def.

II. Privatim *1) physiologiae experimentalis partem ad processus vegetativos spectantem* docebit d. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. IX—X.

2) exercitationes physiologicas practicas bis p. hebd. h. IV—VI instituet.

III. Privatissime et gratis *disquisitiones physiologicas* in laboratorio physiologico quotidie moderabitur h. IX—I.

ALFREDUS GRAEFE, Dr.

Lectiones non habebit.

EDUARDUS HITZIG, Dr.

I. Publice *psychiatriam* docebit semel per hebd. hor. def.

II. Privatim *scholas clinicas psychiatricas et neuropathologicas* habebit d. Merc. et Sat. h. II$^1/_2$—IV.

ARTHURUS A HIPPEL, Dr.

I. Publice *de anomaliis refractionis et accommodationis* disseret die Merc. hor. V—VI.

II. Privatim *1) scholas clinicas ophthalmiatricas* habebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII—I.

2) exercitationes ophthalmoscopicas habebit d. Mart. et Iov. h. IV—V. (una cum Dr. Noering).

CAROLUS EBERTH, Dr.

I. Publice *selecta capita anatomiae* d. Merc. h. VI—VII tractabit.

II. Privatim *myologiam et splanchnologiam* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov.Ven. h. XII—I.

III. Privatissime *1) exercitationes anatomicas* una cum Prof. Disse et Dr. Eisler diriget quotidie h. IX—I. et II—V.

2) exercitationes histologicas iis, qui iam imbuti sunt scientia histologica, accommodatas instituet quotidie h. IX—I. et III—VII.

ERICUS HARNACK, Dr.

I. Gratis et privatissime *laborum in instituto pharmacologico* peritioribus copiam dabit quotidie.

II. Privatim *1) medicamentorum doctrinam* et *pharmacologiam* docebit die Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. V—VI.

2) exercitationes in arte formulas medicas scribendi instituet die Sat. h. V—VI.

3) chemiam physiologicam tractabit die Merc. et Sat. h. XII—I.

FRIDERICUS A BRAMANN, Dr.

I. Publice *de periculis vulnerum infectorum* et *de therapia vulnerum chirurgica* disseret d. Merc. h. IV—V.

II. Privatim *scholas clinicas chirurgicas* habebit quotidie h. IX$^1/_2$—XI.

HERMANNUS FEHLING, Dr.

I. Publice *morbos ovariorum* et *tubarum* docebit d. Mart. h. VI—VII.

II. Privatim *1) scholas gynaecologicas* moderabitur quotidie h. XI—XII.

2) operationes obstetricias docebit phantomate in usum adhibito d. Mart. Iov. Ven. h. V—VI.

b. Professorum extraordinariorum.

HERMANNUS SCHWARTZE, Dr.

I. Publice *diagnosin morborum auris* docebit d. Merc. h. X—XI.

II. Privatim *demonstrationes clinicas morborum auris* moderari perget d. Lun. et Iov. h. X—XI.

ERNESTUS KOHLSCHUETTER, Dr.

I. Publice *balneotherapiam* tractabit die Mart. hor. VIII—IX.

II. Privatim *pathologiae et therapiae specialis partem alteram* tractabit d. Merc. et Iov. h. VIII—IX.

ADOLPHUS SEELIGMUELLER, Dr.

I. Publice *morbos medullae spinalis* exponet d. Mart. h. VI—VII vespertina.

II. Privatim *demonstrationes clinicas neuropathologicas* habebit d. Iov. h. VI—VIII vesp.

RICARDUS POTT, Dr.

I. Publice *morbos neonatorum* docebit d. Merc. h. XI—XII.

II. Privatim *1) infantium et puerorum morbos* tractabit d. Mart. et Ven. h. III—IV.

2) demonstrationes clinicas paediatricas habebit d. Lun. et Iov. h. II—III.

ALFREDUS GENZMER, Dr.

I. Publice *de organorum virilium genitalium et urinalium morbis* disseret d. Merc. h. V—VI.

II. Privatim *chirurgiam generalem* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V—VI.

MAXIMILIANUS OBERST, Dr.

I. Publice demonstrabit, *quae functiones laesae restent ex vulneribus et quam vim habeant ad facultatem acquirendi* d. Iov. h. I—II.

II. Privatim *scholas clinicas ad laesiones traumat. pertinentes* habebit d. Merc. h. XII—I$^1/_2$ et d. Sat. h. IX$^1/_2$—XI.

AEMILIUS SCHWARZ, Dr.

I. Publice *de morbis puerperarum* disseret semel per hebd. h. def.

II. Privatim *morbos mulierum cum demonstrationibus clinicis* tradet d. Mart. et Iov. h. III—V.

IOSEPHUS A MERING, Dr.

I. Publice *de morbis ventriculi* disseret d. Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *1) scholas policlinicas* habebit d. Mart. h. II$^1/_2$—IV, d. Sat. h. VIII—IX$^1/_2$.

2) diagnosin chemicam et microscopicam additis exercitationibus docebit d. Merc. h. IV—VI.

III. Privatissime *exercitationes laryngoscopicas* instituet h. def.

PAULUS BUNGE, Dr.

I. Privatim *ophthalmoscopiam* docebit quater p. hebd. h. VII—$^1/_2$IX vesp.

II. Privatissime et gratis *exercitationes ophthalmologicas diagnosticas* offert hor. defin.

IOSEPHUS DISSE, Dr.

I. Publice *de evolutione apparatus excretionis* disseret die Sat. h. XII—I.

II. Privatim *1) dissectionibus anatomicis* cum Prof. Eberth praeerit quotidie h. IX—I. et II—IV.

2) osteologiam et syndesmologiam docebit die Lun. Merc. Ven. h. III—IV.

3) anatomiae topographicae alteram partem tractabit die Lun. Mart. Iov. h. IV—V.

c. Doctorum privatim docentium.

LUDOVICUS HOLLAENDER, Dr.

I. Privatim *1) scholas clinicas ad dentium et oris morbos pertinentes* moderabitur quotidie h. II—III$^1/_2$.

2) dentium et oris morbos docebit d. Mart. Iov. Ven. h. V—VI.

II. Privatissime *exercitationes odontotechnicas et exercitationes in obturatione dentium* instituet quotidie h. VIII—XII.

HUGO HESSLER, Dr.

I. Publice *otoscopiam et rhinoscopiam* tractabit semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *selecta otologiae capita* exercitationibus practicis adhibitis tradet ter p. hebd. h. def.

EDMUNDUS LESER, Dr.

I. Publice *herniarum pathologiam et therapiam* docebit semel p. hebd. h. VI—VII.

II. Privatim *1) capita selecta chirurgiae specialis et generalis* docebit ter p. hebd. h. VI—VII.

2) scholis clinicis propaedeuticis chirurgicis praeerit bis p. hebd. h. VIII—IX$^1/_4$.

OTTO RISEL, Dr.

I. Gratis *toxicologiam forensem* tradet d. Merc. hor. def.

II. Privatim *medicinam forensem* docebit d. Lun. Mart. Iov. h. def.

OTTO A HERFF, Dr.

I. Gratis *de obstetricia et gynaecologia forensi* disseret semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *theoriam artis obstetriciae* docebit d. Mart. Iov. Ven. h. II—III.

PAULUS EISLER, Dr.

Privatim *anatomiam organorum sensuum* docebit d. Merc. h. VI—VIII.

ERNESTUS KROMAYER, Dr.

I. Gratis *dermatologiam generalem* docebit semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *scholas clinicas dermatologicas syphiliticasque* habebit ter p. hebd. d. Lun. et Iov. h. VII—VIII, d. Merc. h. VI—VII.

ROBERTUS WOLLENBERG, Dr.

Privatim *anatomiam cerebri et medullae spinalis atque diagnosin topicam* (cum demonstrationibus) docebit die Merc. et Sat. h. IV—V. aut die Sat. h. IV—VI.

PAULUS BRAUNSCHWEIG, Dr.

I. Publice *de oculi humani laesionibus* disseret semel per hebd. h. def.

II. Privatim *exercitationes ophthalmoscopicas* habebit d. Mart. et Ven. h. III—IV½.

IV. Scholae Philosophorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS KNOBLAUCH, Dr.

I. Publice 1) *colloquia de rebus physicis* atque *seminarii physici exercitationes* moderari perget d. Merc. h. VI—VIII vesp.

2) *demonstrationibus et exercitationibus in usu instrumentorum* horis commodis vacabit.

II. Privatim *physices partem priorem, mechanicam, acusticam, electricitatis et magnetismi doctrinam* docebit experimentisque illustrabit quaternis p. hebd. scholis h. IX—X.

HENRICUS KEIL, Dr.

I. Publice *seminarii philologici exercitationes* moderabitur d. Merc. et Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *artem metricam Graecorum et Romanorum* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII.

IULIUS KUEHN, Dr.

I. Publice 1) *introductionem in studium rerum oeconomicarum* tradet d. Sat. h. X—XI.

2) *exercitationes seminarii scientiae naturalis applicatae* semel p. hebd. h. commoda moderabitur.

II. Privatim 1) *agriculturam generalem* d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII tractabit.

2) *pecuariam rem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X.

III. Privatissime *exercitationes in laboratorio oeconomico-physiologico* instituet una cum Prof. Dr. Albert quinquies p. hebd. h. VIII—IV.

RUDOLFUS HAYM, Dr.

I. Publice *de Goethii vita et scriptis* disseret d. Lun. h. VI—VII.

II. Privatim *historiam philosophiae universam* quinis p. hebd. scholis enarrabit h. V—VI.

III. Privatissime et gratis *exercitationes philosophas* denuo instituet d. Merc. h. VI—VIII.

GREGORIUS KRAUS, Dr., Decanus.

I. Publice *in horti caldariis demonstrabit* h. def.

II. Privatim *anatomiam et physiologiam plantarum* docebit d. Lun. et Merc. h. V—VII.

III. Privatissime *exercitationes* 1) *microscopicas et physiologicas,*

2) *pharmacognosticas* moderabitur h. def.

IOANNES CONRAD, Dr.

I. Privatim *oeconomiae politicae primam partem* (Nationalöconomie) docebit d. Iov. et Ven. h. IV—VI.

II. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii oeconomico-politici et statistici* moderari perget.

GUSTAVUS DROYSEN, Dr.

I. Publice *de restitutione imperii Germanici a. 1870* disseret d. Merc. h. VI—VII.

II. Privatim *historiam universalem aevi nostri* (inde ab a. 1815) enarrabit quaternis p. hebd. scholis h. XII—I.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii historici* moderari perget d. Mart. h. VI.

ALFREDUS KIRCHHOFF, Dr.

I. Publice *Darwinii doctrinam, praesertim gentium commutatione probatam*, tractabit d. Merc. h. VI—VII.

II. Privatim *Australiam, Americam, Africam* describet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. III—IV.

III. Privatissime et gratis *1) exercitationes seminarii geographici* moderari perget d. Ven. h. II—III.

2) repetitorium geographicum habebit d. Mart. h. II—III.

HERMANNUS GRENACHER, Dr.

I. Publice *capita selecta zoologiae generalis* tractabit d. Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *elementa zoologiae* docebit quinis p. hebd. hor. V—VI.

III. Privatissime *1) exercitationes zoologicas* bis binis p. h. hor. X—XII habebit, *2) disquisitiones zoologicas peritioribus accommodatas* quotidianas instituet.

